

FK.135
36

IIg
432

AD
ORATIONEM ANNIVERSARIAM
IN
MEMORIAM
GODOFREDI HOFFMANNI,

DOCTORIS ET MODERATORIS DE GYMNASIO ZITTAVIENSI
QVONDAM EXCELLENTER PROMERITI,

FVTVRO DIE IOVIS

HOR. VIII.

PVBЛИCE AB SE HABENDAM

HUMANISSIME INVITAT,

SIMVLQVE

DE

DOCTRINA GRÆCÆ LINGVÆ QVIBVS DAM
IN SCHOLIS MODERNA

EXPOSIT

ADAM DANIEL RICHTERVS

GYMNASII DIRECTOR.



Fata omnis eruditionis omni tempore conjuncta fuisse cum fatis, quæ Grajorum lingua habuit, quis est eruditorum, qui ignoret. Hæc enim neglecta semper secum abstulit elegantiorum litterarum splendorem & omnem doctrinam cum salutari demum puritate. Statim quum instauratores litterarum in Saxonia ciuibus nostris Grajorum litteras quondam tradere coepissent, omnis eruditio simul aduolabat, ut senes etiam æque ac juvenes & pueri certatim graecas litteras in deliciis haberent, & non minus græce quam latine docti, priorem barbariem breui & feliciter expellerent. Sic enim Melanchthon jam puer græce doctus erat. Qui fata græcae linguae, atque inde incrementa & decrementa eruditionis, quæ semper simul fuerint, noscere cupiat, Elingium, in Dania olim clarum atque insignem, rerum illarum optimum estimatorem colulere poterit. Non enim semper græcae linguae idem honor & gloria fuit, quoniam temporum uitium huic quoque uitium contraxit magnum aliquando & uarium. Utinam uero, ne & nostro hoc æuo lingua istius, quæ princeps haberi debeat, fatum esset tristissimum & Musarum græcarum amor non ita desiceret, ut subuerendum sit, ne eruditio ipsa sibi alias tandem sedes querat, ubi commodius hospitari possit. Quis enim non nouerit, quæ huius linguae sit dignitas, quæ necessitas & quam magna demum in omni litteratura utilitas? Libri Graiorum omni eruditionis thesauro reserti sunt, ut Horatius recte in Arte Poëtica admonuerit:

- - Vos exemplaria græca
Nocturna uerse manu, uerse diuina!

Inde etiam recte dicunt, qui dicunt:

Qui græce nescit, omnia male didicit.

Ego quidem libenter credo, neminem esse inter doctissimos homines, qui præter suavitatem huius lingue, quæ sua & propria est, non etiam fructum persentiscat, sed illud tamen doleo, multos juvenes in scholis fallere & falli in præsenti, qui, uel tenui uel etiam nullo apparatu græcae linguae instructi, ad altiora abeunt & putant, se sufficere posse interiori sanctiorique rerum cognitioni. Musarum domicilium uolunt ingredi, quum atrium nondum ingressi sint, cuius quidem rei culpa, si quid ego sentio, certe non omnis penes juvenes, sed penes Mæcenates, parentes & preceptores est. Olim certe non uiri solum magna dignitate eminentes Grajorum linguam excellebant, sed & ipsi principes quidam, penes quos summa rerum erat, ipso calamo græcabantur, uel saltē litteras istas ita adamabant, ut præclara ingenia ad pulchros conatus facile excitari potuerint, id quod beatus Goetzius amplius exponit in Principe græce erudito. Torpent igitur nunc nostra ætate ingenia Grajorum eastris apta, quum nulli Mæcenates sint, qui curam harum litterarum gerant. Genius huius seculi talis est, ut multi omnia utilitate præsentí metiantur, & magis curam habeant lucri, quam publicæ utilitatis, quæ ex cognitione litterarum græcarum uerissime semper retundat, laudisue. Nostri amant quæstuosas artes, & hæc peruersa opinio, quod ad altiora festinandum sit, modo ut cupiditatı honorum & crumenę eo maturius consulatur, seritur etiam alitürque a uiris sape aliquando non male doctis, qui, in temperiis, haud scio quibus, acti, istis non bonis suis consiliis barbarie ianuam quasi & omnem fenestrā aperient. Et ne odiosi existamus, transire lubet illos, certe grauiore censura dignos, qui eo impudentia processerunt, ut publicis etiam scriptis ignorationem græcae linguae defenderint, futurumque iurisconsultum, artisque medendi discipulum minime ista lingua

erudiendum esse, audacter probare uoluerint. Parentum uero peruersam sentiendi rationem accusabo, qui uel Ascanios suos domi tradunt erudiendos hominibus, qui, saepissime ipsis in Græcia hospites, multis ambagibus non nisi fastidium huius lingua in discipulis suis procreant, uel qui filios suos doctrinæ quidem in scholis publicis non inuident, filiorum tamen studia ita suis consiliis præcipiant, ut istos ante tempus, quum græce nondum satis bene instituti sint, tanquam implumes pullos in liberiores auras euolare oporteat; in qua quidem re, peruerso amore ducti, & quum ipsis laxioris uitæ appetentissimi sint, filii parentum consiliis eo lubentius obsequuntur. Iste enim parentes cupiunt ex se natos titulis & honoribus mature coruscantes uidere. Quæ sententia, quod mediocri lingua latina, nulla græca, cognitione instructi tamen ad omne eruditiois genus grassari possint, itinere prorsus non impedito, multorum animis alte defixa inhæret. Deinde non raro præceptores quidem ipsis sua peruersa methodo id faciunt, ut græcarum litterarum amor & studium minuatur, carumque interitus timendus sit. Isto enim crimine, quod nihil græca lingua difficultius sit, hanc linguam dum liberauit doctissimus Erycius Puteanus, in oratione sexta Suada Attica, in qua quidem aperte facetur, culpam difficultatis non penes linguam esse, quæ una præ reliquis facilitate sua commenderet, sed potius, quum difcesseris ab ingenii, quæ metu difficultatis, quam fibi suam per sociordiam fingunt, deterrunt, penes istos quoq[ue]dam doctores, qui fibi creditos per salebrofas uias ad græcam linguam ducunt, illamque ingratam & ingeniorum ueluti torturam faciunt, iniucunda sua methodo linguam istam gressu ducedinis, quæ ei inest, defraudantes. Certe qui istam sententiam Puteani accuratius perpendere uelit, facile intelligere, uerum esse, græcam linguam in scholis non nisi æruminabili labore cognoscendam saepissime proponi, ita ut nemo illud negauerit, nisi præceptores illi ipsi, qui ita peccasse non erubescunt. Qui linguis quidem aliter, quam ad regulas grammaticales pubem scholasticam docet, ille, me quidem iudice, minus fideliter docet. At illi tamen omnino magis impediunt, quam proficiunt, qui solum statuam modo, ut ita dicam, in græcis lectionem amant, & singula uerba grammaticæ considerant, præsertim cum illis, quibus grammaticalia iam diligentissime satis inculcata sunt. Dici profecto non potest, quantum periculi in hac ipsa docendi ratione situm sit, ut non nisi difficulti negotio iuuenies ediscant, quæ tractatione multa exercitationeque longe facilius percepta haberi possunt. Multi sunt iusto diligentiores in doctrinâ dialectorum, in accentibus, in anomaliis, & quæ alia huius farinæ multum legendò facilius capiuntur, negligentiores uero in eo, quod tamen sumum erat, ut discipuli uerborum conjugationes bene memoriter pronuncient, & formationes eorum enumerare discant. Peruersæ istius methodi, qua multi ita docent, ut in unica saepe auctoris lectione multas horas hærendo consumant, principium, si quid perspicere ualeo, pigritudinem esse ego ominer, multam ante & longam præparationem, quæ institui debebat, euitandi ergo. Quomodo autem in serie sua res auctoris poterunt capi, si singula pensa in multis dies atque horas extensa sint. Quia uero præceptores in scholis non uerborum tantum, sed in primis rerum quoque interpretes esse debent, inde talis lectio omnino illud eriam impeditum habet, ut discentes neque pulchritudinem libelli, qui prælegunt, græce scripti, perspiciant, ex quo denquo illud apud illos euenire solet, ut legendi uoluptas uel subinde languescat, uel omnis tandem plane extincta abeat. Et quum omnis cunctatio molesta sit, properatio autem cuiuslibet uoluptatem afferat, sic perspicue satis cognoscitur, uerba & phrases, quæ

legentibus saepe occurunt, facilius animo infixa remanere altaque mente
quasi reposita conferuari, quam quæ singula memoria tradenda sunt. Ne
vero isti, parum saepe in latinis, multum uero in græcis grammatici homi-
nes, satis aliquando crudeles, censorum supercilium forsitan distingere au-
deant, ablegamus illos ad Vossium, qui in eandem sententiam scribit ad Fa-
brum in Epistola 38. *Multi peccant in græce lingua elementis docendis,
qui non distinguunt inter ea, quæ preceptis cognosci, quæque usu addisci
oportet.* Sed ita non bona docendi ratio non sola est, qua ipsi quidam præ-
ceptores omnem amorem græca lingua & studium subtrahunt, errant enim
se pessime etiam in eo, ut discipulis suis libros exponant, qui illis nec usum
præbent, nec factis ad palatum faciunt. Sic in Hesiodo nec rerum notitia
pulchra est, nec uerba satis usitata semper occurunt, ita ut uelim, ut mihi
Grammatici eruditii exponant, quo tandem iure Hesiodus Clasticus Auctor in
scholis haberi coepit. Et quoniam facultas legendi non in Poëtis, sed a
principio in Historicis omnis querenda est, aliis istam laudem dijudicandam
relinquo, quam omnes sibi attribuunt, qui Homeri expositionem cum suis
se sustinere posse gloriabantur, uel saltē, quod possint, uideri uolunt. Eti-
am in libello Plutarchi de institutione puerorum perscriptio multa nimis
naturaliter dicta sunt, ut non inique miremur, quomodo in scholis isto libel-
lo nihil uirtutis sit. A scholis itaque ueluti exterminatos uidemus, qui
tamen in illis regnare debebant, Dionysium puta Halicarnassensem, Polybi-
um & Historicos alios, non facile tamen, id quod dolendum est, parabiles.
Istam curam boni præceptores, quibus huius rei occasio est, suscipient saepe optamus,
ut illos auctores sine uerione typis expressos haberemus, notulis saltē quibusdam locis
difficillimis adjectis, Germanice autem cum pueris loquentibus, ut ne desidiosi in inda-
gando verborum sententias administriculum in versionibus adpositum sit. Multa alia impe-
dimenta, quod nimis per sepe saepe dies uix tres quatuorue horulae institutione in
græcis constituta sunt, & ignavias inueniuntur opiniones, quoniam haec facilius co-
gnoscantur & ab aliis multum explosa fiat, silentio iam prætermittimus. Repeto autem
ex Martini Simonii egregio libello de litteris pereuntibus illam causam, quam rerum ui-
cissitudinem pro ratione instituti sui dedit, ut scilicet litteræ primo quibusdam in locis in-
geniosorum experientia & labore oriantur, deinde incrementa suscipiant, post aliquan-
tu[m] in statu uigeant, tandem sua uertute languent, denique sensim emoriuntur, &
oblivione eterna sepeliantur; quam quidem Simonii sententiam prudentiores iam ex-
aminauerint. Si autem ego quid perspicio, uerum esse opinor, quod non male sentiant,
qui sentiunt, impietatem nostram & teponem in religione omnium primam cauillarum
esse, que græcae lingue amorem minuant, omnem cultum illius apud nos extrudunt &
interitum certissime accelerant. Que enim nobis grauior poterit esse poena, quam bar-
baries, quam litterarum interitus, grecarum præcipue? Lingua enim græca, exsilio
Grecorum ad nos delata, prælia fuit luci Euangelice uiamque aperuit, qua Lutherus pu-
riora facia reducere poterat, ita ut omnes, talpa etiam cæciores, uident, quod græca
lingua, que nunc iterum abitum suum iusso Dei consilio parat, certissime secum nobis sub-
ducatur sit, quod attulit.

Fugam igitur huius ut susteret, omnium prima cura fuit Viri doctissimi, GODO-
FREDI HÖFFMANNI, Doctoris Gymnaſii nostri, dum in uiuis esset, insigniter meri-
ti, cuius memoriam, ab obliuione in eternum vindicandam, ut futuro Iouis die hora
VIII. renouemus, pietas nostra & officium nostrum postulat.

Rogo itaque summa pietate & obseruantia, ut ad haanc orationem anniversariam
MAGNIFICVS atque AMPLISSIMVS SENATVS, PERREVERENDI VERBI DIVINI MINISTRI,
alii Munerum splendore & dignitate VIRI GRAVES, PATRONI & FAVORITES, &
omnes ERVDITI frequentes confluant. P. P. XIX. Trinit.

MDCCLXI.

ZITTAVIAE, TYPIS IOANN. GOTTL. NICOLAI.

IIg
432

FK.135.

36

AD
ORATIONEM ANNIVERSARIAM
IN
MEMORIAM
GODOFREDI HOFFMANNI,

AT MODERATORIS DE GYMNASIO ZITTAVIENSI
VONDAM EXCELLENTER PROMERITI,

FVTVRO DIE IOVIS

HOR. VIII.

BLICE AB SE HABENDAM

HUMANISSIME INVITAT,

SIMVLQVR

DE

A GRÆCÆ LINGVÆ QVIBVSDAM
IN SCHOLIS MODERNA

EXPOSIT

M DANIEL RICHTERVS

GYNASII DIRECTOR.

